



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De sponsalibus & matrim. Consilium DXXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

condemnet. Quod etiam proclivior esse debet, quod non obicitur ex actis huius causæ, & præsertim testimoniis dictorum Alonsi, Ioannis & Margaretæ H. confiter inter Reum, & Actricem post priorem contractum, intervenisse concubium & carnalem copulam.

Additio altera.

POST hoc responsum prodire declarationes aliquot Congregationis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium, ad interpretationem Concilij Tridentini deputatorum, quæ ad illius confirmationem ac elucidationem valde faciunt, ideoque hic subiiciuntur.

- 41 An matrimonium non præsentem Parocho contractum in regione hæretica (qualis est Anglia) ubi non est copia Parochorum, sit irritum & nullum ex decreto Concilij; & contrahentes ad sic contrahendum reddat inhabiles?

Congregatio censuit decretum non extendi, si in Ecclesia, in cuius Parochia habitant contrahentes, nondum eo tempore, quo sic contraxerunt, erat, ut palam dicitur, publicatum hoc decretum; validum autem non sit matrimonium, si contractum sit post tri, infra dies à prima publicatione huius decreti facti in Parochia, intra cuius fines habitant hæretici, qui post sic contraxerunt.

Quid faciendum, cum duo clarescunt contrahunt aut contraxerunt, & in unius parochia publicatum fuit decretum; in alterius non item, in qua contrahunt simul?

Congregatio respondit anno 1583. decretum concilij non obligare, si in ea parochia, ubi contrahitur, decretum nondum fuit publicatum.

- 42 Vbi constat decretum Concilij de reformatione matrimonij esse publicatum, vel aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilij fuisse observatum; sed parochialis Ecclesia proprio caret Parocho, & Cathedralis itidem Episcopo, nullusque alius ibi est, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat, an matrimonium valeat absque præsentia Parochi?

Congregatio perperis consultationibus Episcopi Tricaricensis in partibus inferioris Germaniæ Nuncij Apostolici, respondit anno 1603. affirmative; matrimonium valere absque præsentia Parochi; servatâ tamen in eo, in quo posset, formâ Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus.

Item si extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto vicario, uterque metu hæreticorum lateat; ita ut verè ignoretur ubinam sint, vel ob metum à diocesi absint, nec ad alterutrum sit tutus accessus, an validum sit matrimonium contractum absque forma Concilij?

Congregatio respondit validum esse; adhibitis tamen, ut dictum est, duobus saltem testibus.

Subscriptum

HIERONYMVS CARD. MATTHÆVS.

De sponsalibus & matrim.

S V M M A R I V M.

Matrimonium coram Ministris sæcularis contractum,

1. Matrimonium cum hæretico contrahi.
2. Matrimonium coram non proprio Parocho contractum nullum est, ubi Concilium Tridentinum est publicatum.
3. Coniux coniugi quando succedat.
4. Turpitudinis propriæ allegatio quandoque toleratur.
5. Vidue appellatio cui congruat.

CONSILIVM DXXX.

QVOD pro parte Domicellæ Annæ H. proponitur, an inter Domicellum Ioannem E. hæreticum, & in factione ac rebellione hæreticorum in civitate Gandensi inter alios antesignanum, & ipsam Domicellam Annam, à Catholica religione non alienam, verum, legitimum, & ratum fuerit matrimonium, quod ipsi coram Ministris sæcularis, & hæreticis in dicta civitate publicè contraxerunt, ad omnes juris tam divini, quam humani effectus, primo aspectu dubitationem aliquam habere videtur: * ob id, quod quamvis ex canone Concilij Agathensis, *can. Non oportet xxviii. q. i.* non oporteat cum hæreticis hominibus miscere coniugia; & Divus Ambrosius, *can. Cave xxviii. q. i.* Christiano cavendum esse admonet, ne cum alienigena, hoc est, non tantum gentili, vel Iudæo, sed etiam cum hæretico, vel hæretica conjugium contrahat: pro prohibitione tamen præcisâ non sit, sed pro admonitione dumtaxat, ne quis Catholicus facile, & temerè matrimonium cum hæretico contrahat; ita ut, si contempta hac admonitione, aliter fiat, nullum non sit, quod agitur, sed verum, & ratum secundum veteres canones & decretales constitutiones matrimonium, *Gloss. in d. can. Non oportet, Panor. & alij in c. Quanto de divort. solâ poenâ amittendâ, & confiscandâ dotis mulieri imposita, si scienter cum hæretico contrahat, c. decrevit de heret. lib. 6.* Cum etiam apud infideles & paganos sit verum matrimonium, quantum matrimonium constat in finibus contractus, non etiam quatenus est sacramentum, *c. Gaudemus de divort. c. Deinde 26. dist. 1.* multò magis inter hæreticos, vel utrumque, vel ex altera parte dumtaxat, quippe multa in iure fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, & juris firmitatem tenent, *c. Ad Apostolicam De regular. & trans.*

Cæterum hanc disputationem discutit sacri œcumenici Concilij Tridentini definitio, decretum & auctoritas, in *c. 1. sess. 24. De reformat. matrim.* quæ ut posterior & novissima, sola in constituendo legitimo, vero, & rato matrimonio in consideratione haberi debet. Ut generaliter posteriores non tantum leges, *l. Non est nam cum duob. seg. De legib.* sed etiam sacri canones, & Ecclesiasticæ constitutiones prioribus derogant, & quicquid contra illas sit, nullam habet firmitatem, *c. Non debet De consang. & affinit.* Proinde cum idem Conciliare decretum, in dicta civitate Gandensi ac singulis illius parochijs pridem receptum & publicatum, non tantum præcipiat, ut ma-

ut matrimonia contrahantur coram proprio Parocho; sed adiecta etiam clausula decreti irritantis, irritos faciat, & annullat, imò irritos & nullos esse decernat contractus matrimonij aliter quam presentibus Parocho proprio, vel alio sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus contractos; & præterea eos, qui aliter matrimonium contrahere attentant, reddat ad se contrahendum inhabiles. *c. d. i. Sess. 24. de reformat. matr.* nulla potest esse dubitatio, quin hoc sic de facto inter istas personas, non coram proprio Parocho, aut alio Sacerdote de ejus seu Ordinarij licentia contractum matrimonium, nec verum, nec legitimum, nec ratum, sed omnino nullum sit: & sic neque quoad formam, neque quoad virtutem, neque quoad jus contractus, neque quoad sacramentum ullo modo valeat, vel obstringat, sed sit potius pro illegitima, & velut fornicaria habenda, quæ aliter quam decretum præscribit, constituitur maris & faminæ conjunctio. Ut regulariter etiam irrita constituuntur matrimonia, quæ inter eos de facto contrahuntur, quos lex aut canon ex aliquâ causâ inhabiles facit ad contrahendum matrimonium; puta vel ob ætatem, vel ob consanguinitatem, vel ob aliam personæ conditionem, *c. fin. de divor. c. De infidelibus De consang. & affin. tit. toto De desponsat. impub. Item Qui cler. vel vorentes, item De eo qui dux. in ux. quam poll. per adult.* Hæc enim est Ecclesiæ Romanæ omnium fidelium matris, magistræ, & Sedis Apostolicæ auctoritas, ut omnes constringat; non tantum Catholicos, sed etiam hæreticos, qui hæc in parte non melioris, sed deterioris potius conditionis esse debent, quàm Catholicos, *l. Non fraudantur §. 1. De reg. iur. l. 3. §. videamus De donat. inter vir. & ux. & rationi sit consentaneum, ut obedientia pro sit humilibus, & contemptus ob sit contumacibus, c. i. vers. nos igitur De posulat. prelat. nec ad Canonis auxilium confugere debeat, qui in illum peccat, c. Bone De elect. ne de malitiâ suâ quis commodum videatur reportare, c. Intelleximus De iudicij. Nec mirum, si id in hæreticis, aut in hæretico, & Catholica ita statuatur; cum idem obtineat, si Catholicus cum Catholica coram Ministris sætarijs, imò etiam coram alio sacerdote Catholico, qui non sit vel utriusque, vel alterutrius proprius Parochus, matrimonium contrahere attentaverit: ob id, quod forma per Concilium præscripta non fuerit observata. Etsi enim id in Catholicis primo aspectu durum videatur; quia tamen ita jure constitutum est, apparentem duritiem vincere debet constituti juris auctoritas, *l. Prospexit D. Qui & à quib. Bald. consil. 473. Circa questionem nu. 1. vol. 5.**

De quo minor est dubitatio ex eo, quod intelligamus, & per felices recordationis S. D. N. Gregorium Papam Decimum tertium, & per Congregationem Illustrissimorum Cardinalium, qui ad interpretationem dicti Concilij & decisionem dubiorum emergentium constituti sunt, ita decisum, & definitum esse: cujus definitionis, & decisionis tenor hic est, qui sequitur.

An pro matrimonio judicandum sit, si duo contraxerunt ex libero utriusque consensu coram Parocho alieno, propterea quod vel eorum Parochus esset hæreticus publicus, vel profugus, vel

Conf. Wamef. Tom. II

quia Ecclesiæ Parochialis carebat suo Rectore?

Hoc dubium non decidit Congregatio, nisi ante audita sententiâ Summi Pontificis.

S. D. N. ex sententiâ Congregationis Interpretum dicti Concilij declaravit, indicandum esse contra matrimonium: posse tamen eos iterum contrahere validè coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de consensu Ordinarij sui si non adsit aliud legitimum impedimentum.

Item duo cives ejusdem civitatis migrarunt ad hæreticam quandam civitatem, ubi fixis sedibus contraxerunt matrimonium coram Ministris sætarijs; postea reversi ad suos Catholicos, alter agit de nullitate matrimonij, & sibi licere aliam ducere, quia coram suo Parocho non contraxisset: queritur, an debeat pro matrimonio judicari?

Congregatio Interpretum Concilij censuit ita debere, si in Parochia illa, intra cuius limites contrahentes fixerunt sedes, non erat tunc publicatum decretum Concilij Tridentini, d. Sess. 24. de reformat. matr. c. i. scilicet si publicatum fuisset, & matrimonium contractum post triginta dies à prima publicatione.

Quas decisiones pro maiore sua certitudine præfata Domicella Anna ex urbe sub authenticâ formâ facillè obtinere poterit. Atque ita nos subscripti Sacræ Theologiæ, & Vtriusque juris Doctores respectivè, & Professores in eo constitimus, quod cum notorium sit, saltem verum esse præsupponamus, quod adhuc pluribus annis hoc de matrimonio Concilij Tridentini decretum in singulis Parochijs Civitatis Gandavensis legitime publicatum fuerit, irritum, & nullum omnino sit, de quo proponitur inter Ioannem E. & Annam H. coram sætarijs Ministris de facto contractum matrimonium. Sic scriptum:

Michaël du Bay.

Henricus Gravius.

Ioannes Molanus.

Ioannes Lensæus.

Ioannes Wamefius.

Philippus Zwerius.

Sacræ Theologiæ Doctores & Professores.
V. I. Doctores & Professores.

Additio.

* **S**ic resolutâ hac spiritali quæstione, quæ vires & radicem hujus putativi matrimonij contingit, & præjudicialis est, non difficilis est progressus ad resolutionem civilis, & pecuniariæ, quæ pro parte dictæ Domicellæ Annæ proponitur super lite, quæ ei tamquam legitimæ viduæ præfati Domicelli Ioannis E. intentatur, ex parte Domicelli Danielis M. generi dicti Domicelli Ioannis, per illius filiam ex priore suo matrimonio, ex causâ annui redditus personalis viginti sex librarum decem solidorum grossorum, ad quem dictus Ioannes, ante contractum hoc de facto matrimonium cum Domicella Ioanna, præfato Danieli se obligavit: idque vigore legis municipalis, seu statuti dictæ civitatis Gandavensis, quod conjux superstes præmorientis conjugis sit necessarius hæres, tunc cum nemo hæres sanguinis comparet, & successioni se offert. Quod statutum à iuris communis dispositione in eo differt, quod ex hac conjux conjugi, deficiente omni parentum, liberorum, & propinquorum naturali & legitimâ successionem, possit, non etiam invitus debeat esse hæres; & sic non necessarius, sed voluntarius sit hæres, *l. 1. Unde vir & uxor, l. 1. c.*

V v

cod.

cod. Cui necessitati statutarie hoc quoque in consequentiam venit, ut superstes conjux teneatur ad omnia defuncti conjugis quoquo modo contracta, & relicta debita, l. *Pro hereditariis C. De hered. act.* quorum onus, vel abstinendo, vel repudiando hereditatem (cum neutrius potestas sit in hære se necessario etiam putativo, § 1. *Inst. De hered. qual. & differ. l. Is qui putat de acquir. hered.*) excutere, & à se avertere potest. In quâ solâ consideratione probabiliter fundatur dicti Domicelli Danielis intentio: sic ut totus hujus litis status consistat in virtutis exceptionis, seu dispositionis dictæ Domicellæ Ioannæ, & replicationis Actoris adversus illam. De cujus exceptionis non tantum probabilitate, sed evidente etiam iustitia, satis multa, & eaque exactè & doctè in medium adduxit Dominus Iacobus Hammius Vtriusque Iuris Doctor, & in Concilio Provinciali Flandriæ Advocatus: ad cuius diligentissimam operam quod ulterius adjici possit vix est. Cæterum quando sollicita diligentia, & scrupulosa sollicitudo dictæ Domicellæ non subscriptionem, nudamque approbationem eorum, quæ ille scripsit, à nobis desiderat; paucis quædam pro cumulo adjiciemus.

Et in primis quidem hoc, quod ad propositam litem propriè & proximè pertinet, quod ut legitima defuncti conjugis successio, deficientibus, aut succedere nolentibus omnibus defuncti conjugis liberis, parentibus & propinquis, ad superstitem conjugem deferri possit, hoc præcipuè requiratur, ut verè fuerint conjuges; hoc est inter eos iustum & legitimum constitit matrimonium tempore mortis, quo conjux moritur, & ordine successioni bonorum possessio peti, & obtineri non possit, l. 1. *Vnde vir & uxor*: quippe in honorem & dignitatem matrimonij deferretur hoc commodum; ideoque concubinæ, quæ ea dignitate caret, l. *Item legato §. 1. verbi parvi autem refert de leg. 3* nullo modo competit, *Gloss. in V. five in §. consideremus Auth. de trien. & semisse, Bald. in c. Pertuas nu. 4. De maior. & obed. l. ason in d. l. 1. nu. 2. C. Vnde vir & uxor*: cessante enim causâ successioni cessare quoque debet successio, & emolumentum ex ea, tam ab intestato quàm ex testamento, l. *Eam quam C. De fideicommiss. l. si pater C. De hered. instit.*

Ex quâ quidem dispositione interpretationem accipere debet ad illius imitationem & extensionem compositum statutum; ut generaliter statuta passiva interpretationem, seu restrictionem ex jure communi accipiunt, quâ parte expresse juri communi non derogant, ideoque admittunt omnes limitationes, & declarationes, quæ in iisdem aut proximis terminis seu in eadem materia, de quâ agitur, à jure communi constituuntur, l. 2. *C. De noxal. act. l. 1. §. lex Falcidia Ad leg. Falcid. Ant. de Butrio conf. 73. Ad quasita nu. 2. Decius conf. 356. In causa d. Maria nu. 4.* Ut ergo in usu juris communis edicti prætorii verba de viro & uxore Ulpianus interpretatur, d. l. 1. d. *Vnde vir & uxor*, de iusto viro, & uxore, quales esse non possunt, nisi ex iusto, & legitimo matrimonio; ita quoque convenit hujus statuti verba, in eadem materia loquentis de viro & uxore, accipi de iusto viro iustâ quæ uxore. Atque ita cum hujus statuti

verba de viro & uxore loquentia non conveniant illegitimis, seu putativis coniugibus; merito illius quoque dispositio illis nec convenire, nec adaptari potest, l. 4. §. *toties De damno infecto, l. Quod constitutum De milit. testam. Bald. in l. Scimus nu. 12. c. de iuss. testam.* Vnde est quod in plurimis juris articulis, disponentibus de viro & uxore, seu coniugibus, & ad virum, & uxorem pertinentibus; ea ubique sit perpetua & constans restrictio, ac limitatio; ut obtineant, si verè, hoc est, iustè & legitime sint vir & uxor, seu coniuges: ideoque in putativis coniugibus verificari, aut obtinere non possit. Ut per multa exempla ex ratione similitudinis satis amplè id deducitur in prædicti Domini Doctoris præcedente consultatione, latiusque similia exempla plura per Andream Tiracellum congeruntur, in tract. de legib. connubialib. in verbo. *Son mary, Gloss. 8. nu. 234. usque ad 253.* ad quem, simulque ad Bartholomæum Chastaneum, ad consuet. Burgund. Rub. 4. des droits apparten. à gens mariez. §. 2. in verb. *femine nu. 4. & §. 4. in princ. nu. 12.* in terminis Burgundiæ consuetudinis, huic de quâ agimus proximè accedentis admodum vicinis, brevitatibus causa remissis sufficiat. Cum ergo hæc qualitas necessarij hæredis debeat ab ipsa delatione, & obventione hereditatis, & ex jure veri & legitimi matrimonij, & in illius accessionem, seu potiùs consequentiam veniat, quod per se manifestissimum est; nulla potest esse dubitatio, quin ut hereditas dicti Ioannis præfata Domicellæ Annæ ex causâ coniugij, seu matrimonij, quod nullum fuit, deferri non potuit; ita quoque ad illam nullâ ratione transferri poterit necessitas illam agnoscendi, seu illi se immiscendi; ut qualitas sine subiecto esse non possit: delata enim censetur ea demum hereditas, quam quisque adeundo consequi potest, l. *Delata De verb. significat.* non etiam illa, quam etiam si maxime vellet consequi non posset; hoc est, quam vel voluntas testatoris, vel legis dispositio non defert. Vnde est, quod servus domino suo numquam sit necessarius hæres, nisi à domino suo instituitur, & ex testamento domini hereditas ei deferatur; cum nulla legitima hereditas ad servum pertinere possit, d. §. 1. *Inst. De hered. qual. & diff. tit. c. De necess. serv. hered. instit. per tot.* Atque ita cum hæc necessitas accessorij locum obtineat, & illius principale sit hereditatis delatio; consequens est, ut deficiente principali, accessioni locus non sit, l. *Cum principalis De reg. iur.* Neque verò sic præcisâ est hæc necessitas, ut impossibilitati quoque sit vel coniuncta, vel subiecta, sed soli potentia. Ut ergo ista Domicella Anna fuit dicto Ioanni impossibilis (ut verbis Baldi utamur, *Conf. 132. Verus maritus vol. 4.*) hoc est non iusta uxore ita quoque ex jure communi impossibile est, illam ei necessariam hæredem fieri; cui nulla illius hereditas vel ex jure communi, vel ex dicto statuto delata fuit. Ut merito audiri non debeant hæc in parte proximij præfati ab intestato hæredes, aut creditores, si velint eam necessariam hæredem facere; in quorum potestate non fuit, ei volenti ad hereditatem venire, viam aperire.

Nec hæc in parte Domicellæ Annæ obstat consideratio allegatæ propriæ turpitudinis, in qua regulariter

lariter nemo audiri solet, l. Cum profitearis C. de re-
voc. donat. l. Transfatione C. de transfat. quia hoc ju-
gum necessitatis hereditarie successione cum onere
sustinenti arii alieni à se excutere laboret per
allegationem, quod illegitimè in conjunctionem
cum dicto Ioanne contra præscriptum Canonis
venerit: nam non tam allegat suam turpitudinem,
quàm demonstrat, nullam causam esse, cur etiam
si maximè vellet, posset esse marito suo etiam vo-
luntaria, multò minus necessaria hæres. Exemplo
illius, quod Papinianus eleganter respondit, in l.
Avunculo de condit. sine causa, de eà, quæ nuptura
suo avunculo (quod etiam civilibus, non tantum
Ecclesiasticis legibus prohibitum est, §. fratru insti-
t. de nuptijs, l. Si adulter §. stuprum ad leg. Iul. de adult.
c. Non debet de consang. & affi-), ei pecuniam in do-
torem dedit; quod ei illum repenti avunculus obje-
cere non possit, quod ob turpem causam dedit, t.
ideoque potior sit ipsius, tamquam illam pecuniam
possidentis, conditio: quia non tam ob turpem,
quàm ob nullam causam, illam dederit; & sic eam
conditione sine causa rectè repetere. Quæ turpi-
tudinis consideratio in proposito ideo minus at-
tendi debet, quod causa, quæ in hoc casu, matri-
monio contrahendo impedimento fuit, & illi vi-
tium injectit, non fuerit perpetua, neque ex iure
divino, aut naturali, ex quâ semel contractum vi-
tium ineluctabiliter manet, & ob turpitudinem, penam
perpetuam secum trahit, ut est in incestis, & veti-
tis nuptijs, l. Qui contra & seq. C. de incest. & inuti-
li nupt. sed tantum temporalis, & ex iure commentio-
leu positivo; ideoque facile emendari potuit: si
scilicet; nec tam acerbam legis penam secum traxisset
omisso per Concilium Tridentinum præscripta
forma, quæ in proposito inhabilitatem facit; quin
postea quodcumque emendari potuisset, si co-
ram proprio Parocho, & testibus postea inter eos-
dem, denudò formaliter & legitime contractum
fuisse matrimonium. Quemadmodum & in perili-
que alijs casibus usu venit; ut in matrimonio inter
impuberes, & cum impubere contracto, extra de
desponsat. impub. item in matrimonio contracto in
provincia, per eum, qui provincie præest, l. 4. De
rius nupt. l. Esi contra mandata C. de nupt. ita ut hac in-
re non tam turpitudinem, quàm temeritas obversetur.
Ad cujus turpitudinis excusationem quoque pluri-
mum conferunt, quæ in facto proponuntur de cau-
sa harum nuptiarum, de obedientia, & simplicitate
puellæ, de causa publici boni, & pacis conse-
quenda per hoc cum dicto Ioanne de facto saltem
contractum matrimonium: ob cujus publicæ pacis
consequenda vel retinenda bonum, multa contra
iuris regulas permittuntur, vel tolerantur, c. 2. De
desponsat. impub. & ibi gloss. fin. l. u. de con. 333. Quoad
primum nu. 13. & 14. late Andr. Barbatia cons. 1. vol. 3.
Quem articulum in prædicta consultatione satis
discussimus, latius non prosequimur.

Aliud est, quod potentius dictæ Domicellæ An-
næ in averfione huius necessariæ successione ob-
stare videtur, quod se pro hærede dicti sui mariti
gessisse videatur, per hoc quod Illustrissimo Prin-
cipi Parmensi supplicata pro averfendo indicto,
seu superindicto Magistratus Gandavensis se viduam
dicti Ioannis appellaverit, & sub prætextu matri-
monij cum eo contracti immunitatē & excusatio-

Conf. Wamelf. Tom. II.

nē ab eo minere impetraverit. Sed veritati præju-
diciū non facit ea enuntiatio pronuntiatio, ob id,
quod viduæ appellatio, ex ratione etymol. omnibus,
quibus maritus non est, congruat etiam virginibus,
Macrobius lib. 2. Satur. c. 15. juxta illud apud Senecam in
Agamemnone, ante morantur virgines viduæ domi;
multo ergo magis corruptis, quæ vel stuprum passæ
sunt, vel in concubinato fuerunt, vel inutiles habue-
runt matrimonium. Quod pertinet taboloni ex La-
beonis sententia responsum, in l. Malum §. 2. 4. 2. viduam
de verb. signific. viduam non solum eam appellari,
quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulie-
rem, quæ virum non habuisset, Quod non tantum
ad factum, sed etiam ad jus referendū esse putamus
ut nihil intersit, an nō nupserit de facto; an verò de
facto quidē, sed nō iure nupserit: eum nihil intersit,
an nihil omnino factū sit, an factū quidē, sed non
iure, seu vitiose, l. Quoties Quisquis cog. Sed ut ita sit
quod opinione veri antea sit, & per mortē Ioannis
soluti matrimonij, dicta Anna supplicando Prin-
cipi Parmensi, se pro legitima vidua g. scilicet; nullum
tamen præjudiciū inde referre debet: falsa nam-
que opinio, reputatio, seu nominatio veritati præ-
judiciū nō facit, l. Cum falsa C. de iur. & facti igno-
rit in omnem eventum Anna averfendo à se h.
onus indicti, seu superindicti, nō potest dici se ges-
sisse pro hærede Ioannis, nec se illius hereditatem
miscuisse: nā ut hoc onus ei, respectu proprii capi-
tis, & propriorum honorum, Magistratus impone-
re voluit, ita potuit ipsa illud à se avertere citra jus
& nomē hæredis, & sic sine periculo vel immistio-
nis, vel gestio- pro herede, l. Pro herede post prim. &
§. Papinianus in fin. De acq. hæred. Quæ omnia, ultra eā
quæ per prius consultum amplè deducta sunt, cum
manifestum faciant Domicellam Annam nec esse,
nec esse potuisse iure contrahere D. Ioannis hæredē,
sive voluntariam, sive necessariam, nobis videtur
expeditissimum, & extra omnē dubitationem, eam
neq; à dicto Domicello Daniele, neq; ab alio quo-
quam dicti Ioannis creditore conveniri aut exigi
posse pro quocumq; illius debito, etiam constante
isto matrimonio, multò minus ante illud contra-
cto; idque communi Iuris beneficio; quo ut ipsa ita
quoque creditores respectu maritalis successione de-
stituuntur, & consequenter nihil necesse erit ad Re-
giæ Majestatis vel ordinariæ, vel absolutæ pote-
statem pro averfendo vel subterfugiendo isto onere
cōiungere, l. in causa 2. De minorib.

De Sponsalibus & matrim.

S V M M A R I U M.

Matrimonium coram presbytero non proprio pa-
rocho.

1. Clausula decreti irritantis potestas.
2. Publicationes banorum omisse non annullant ma-
trimonium.
3. Publicationes banorum necessaria non sunt ad sub-
sistentiam matrimonij.
4. Relationis potestas.
5. Confessio falsi non præiudicat.
6. Retinere qui intendit de novo non acquirit.
7. Præsentis quis intelligatur, dum præsentia requiritur,
præsertim in contrahendo matrimonio.
8. Matrimonium an sine peccato, invito parentibus rectè
contrahant liberi.

V v 2

CON-